



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 92. Florentini Fœdus cum Gallis innovare renuentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



rursum devovendi negotium dedit Lanoy Ambianensi Principi, qui literis argentariis sat copiosis munitus, ad Baudensem congressum venit, ejusque præcipuis membris multo auro corruptis amplissima obtulit promissa, ut Helvetiorum pagos ad Gallorum partes revocaret; Sedunensis vero Cardinalis tam valide cuncta Lanoyi consilia evertit, ut Helvetii sacræ Sedi nunquam violanda fide additi permanerent, ac nullo pacto a Fœderatorum societate avelli paterentur, imo iisdem quoque promitterent, se ad augendas eorum copias mox sex armatorum millia submissuros. Denique Lanoyus haud plus impetrare poterat, quam ut illos, qui annua a Rege stipendia perceperant, ad differendam fœderis executionem per aliquod tempus induceret, idque Gallis salutis fuit; hac enim de causa sex illa Helvetiorum millia nonnisi post Ravennatense prælium Papæ, Fœderatorumque copiis accesserant.

## §. XCII.

*Florentini Fœdus cum Gallis innovare renuentes.*

Præterea Florentini, Synodo Pisis Mediolanum translata, in dies fidem suam Gallis magis suspectam reddebant; cum enim aliquot post menses fœdus inter

Sæcul. XVI.

A C. 1512.

Raynald. ad

ann. 1512.

n. 27.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1512. ter eos, Gallosque initum expiraret, & Ludovicus illud innovare percuperet, a suis Amicis nuncium accepit, Florentinos huic consilio graviter oblectari; eoquod Pontificis benevolentia devicti, ac non ita pridem ab anathemate censurisque, quibus ob præstitum Pisanis Conciliaribus favorem irretiti erant, soluti fuissent; insuper nuntiatum erat, quod Papa ad eos velut Sedis Apostolicæ Internuncium misisset Joannem Gozzadinum Cameræ Clericum, qui eos Pontificiæ gratiæ certos redderet, illisque gratularetur, quod Pisanum conciliabulum a sua ditione expulissent. Hunc ipsum Gozzadinum comitabatur Franciscus Guicciardinus Pro-Regis Neapolitani Procurator, quorum uterque Florentinos a prorogando cum Gallis foedere avertere omni ope & opera adlaborabat. Valuit etiam successus, eorum tamen suasu Florentini neutri parti adhærere decernebant.

## §. XCIII.

*Fuxensis Fœderatorum copias aggredi, a Rege jussus.*

Igitur nonnisi Ferrariæ Dux, ac Bentivolii in Gallorum fide persistere; verum hi adversus tam potentes hostes prorsus infirmi armorum focii erant, qui potius ad attenuendas, quam augendas Lud-